

Si non con-
tribuat ad
restitutionem
teneri, ex
obligatione
iustitiae co-
mutativa.

121 Vbi & credo, si non ita fiat, restitutionis onus incumbere, quia iniustitia manifesta committitur. Si enim illi essent laici, ex iustitia tenerentur; non quidem legali tantum, qua debet quis commune bonum prius suo praferre: ex illa enim non confurgere obligationem restitutionis non immerito affirmari potest; sed ex commutativa. Sicut enim debet quis mercedem soluere in domo aut villa sua laboranti, ita & laborantibus in Republica, cuius est ciuis, quando illius labor in eius cedit utilitatem. Iam quod laici non sint, sed Ecclesiastici & sic soluere non debeant, ratione privilegii habetur: Atqui illud in casu, de quo loquimur, cessat, sic disponente Pontifice, aut potius declarante, cum ius naturale id exigere videatur, ut scilicet partes omnes bono communi prospiciant: ergo ex iustitia tenentur sicut laici, & ita ea violata ad restitutionem obligantur. Quod colligo ex P. Suario lib. 4. Defensionis fidei cap. 26. num. 6. vbi in Episcopo iustitiae obligationem agnoscit, quod de aliis consequenter asserendum.

Varia vilitates, in quibus videtur obligatio nulla.

122 Sunt autem vilitates aliae, quae non ita proximè videntur ad Ecclesiasticos spectare; quia non ad propria bona, neque Reipublicae, cuius sunt ciues, sed totius regni pertinent: ut cum de expeditionibus agitur, iuxta Cap. Non minus citatum, aut de aliis, ratione quarum non oriri obligationem in Ecclesiasticis ad contributionem, communiter docent scriptores; sicut neque ratione necessitatum aliquarum Reipublicae, quae possent non urgentes iudicari. Si enim ratione illarum obligandi essent, immunitas nullius esset momenti: semper enim ob necessitates, aut utilitates gabellae imponuntur; aliae essent prorsus iniustae. Pro quo videri possunt P. Sancius Cap. 55. citato num. 3. & qui ab eodem adducuntur.

Qua regni concernunt possunt esse grauissima.

Non videtur autem bene explicari tertius necessitatis modus, ex eo quod sit communis regno; nam talis esse sic communis regno potest, ut grauissimè urgeat, qualem in Hispania annis proximioribus vidimus tot cincta rebellibus, & exteriorum incursionibus impetita. Et quidem mutante regno omnia nutant, & maius inde damnum Clericis timeri potest, quam si in ciuitatibus, quas incolunt, pontes, aut viae non sint conuenienter instructae. Rege ergo tunc onus aliquod imponente, iudicare rationabiliter Praelati & Clerus poterunt, ad illud se tubeundum teneri. Et ita tandem fatetur P. Sancius num. 35. quoad obligationem contributionis. Quo euentu grauis insurgit difficultas an debeat Sedes Apostolica consuli. Nam licet Concilium Lateranense eam citato in Capite non imponat obligationem, habetur tamen Cap. Aduersus, eodem Titulo, verbis illis ex eodem Concilio: Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interese communitibus utilitatibus prouidere. Sic ibi: vrget item Lateranensis alterius sub Leone X. decretum, de quo num. 114. verbis illis: Praelati etiam praemissis absque expressa Romani Pontificis licentia vltro consentientes, excommunicationis, & depositionis penas ipso facto incurrant. &c. Pro eodem est Extrauagant. 1. Eodem Titulo, & sic Pharaonius cum aliis Tractat. 2. Sessione 10. Casu 3.

Consulendam Sedem Apostolicam que ostendant.

Cap. Aduersus.

Leo X.

123 Quibus tamen non obstantibus, sunt

qui censeant recursum ad Pontificem non esse necessarium: ex quibus aliquos adducit P. Sancius citato Capite 55. num. 26. propter quorum auctoritatem id censeat probabile; sic enim accipiendum quod in fine ait verbis illis: & haec sententia probabilis est ijs Doctoribus. Neque enim sensus est, aut esse potest, eam videri probabilem Doctoribus citatis, cum illi eam absolute proferant, & non tantum probabilem esse dicunt, quod dici sapientis de sententia illi opposita solet, quam Auctores amplectuntur. Sensus ergo est probabilem esse ijs Doctoribus, id est, auctoritate eorum, ut verba dicta in auferendi casu proferantur. Et illi quidem generaliter loquuntur, & non tantum quando necessitates proximè tangunt Ecclesiasticos. Quando autem huius generis sunt, multi alii idem tuentur Auctores, quos adducit & sequitur Diana Parte 1. Tractat. 2. Resolut. 41. & 133. Quibus addendi P. Sancius Cap. 55. citato num. 7. & Cardinalis Lugo Dissut. 36. citato num. 129. Licet num. 130. aliter censeat, cum per modum tributi contributio imponeretur. Sic etiam Bonacina supra. Sed neque in hoc casu posse sine licentia Sedis Apostolicae procedi, sunt qui teneant, quos adducit & sequitur Diana Parte 5. Tract. 1. Resolut. 11. Sic declarans mentem suam circa dicta in contrarium citatis locis: vbi tamen manifestè oppositam est sententiam amplexus, ut consulenti costabit. Excipitur autè casus periculi in mora, pro quo ipse in speciali adducit plures Resol. 133. citat. 2; quibus adde P. Sancium supra n. 28. vbi alios refert. P. Fragosum Tomo 1. Parte 1. disp. 4. n. 333. P. Dicastillum supra n. 106. & D. Villaroel Parte 2. Quaest. 18. art. 5. n. 87.

Necessarium id negant multi, & qualiter probabilis. P. Sancius.

Qui absolute affirmant, excepto casu periculi.

124 Quamuis & in hoc diuersimodè philosophandum sit iuxta scriptorum obseruationes. Aliqui enim ita absolute asserunt; alii tamen cum distinctione. Necessitas enim obligans ad gabellae impositionem potest contingere in exactione quae ad vnum actum, vel ad breue tempus fit; vel longiori est tempore duratura. Si priori modo contingat, inconsulto Pontifice totum negotium absoluitur: si posteriori, consulendus utique, non pro inchoatione, sed pro continuatione. Sic cum Patribus Suario, & Palao Diana citata Resol. 11. Quando videlicet consuli etiam tunc potest; stare enim potest, ut neque pro continuatione valeat consuli, ut in remotissimis regionibus, aut impedimentis aliquibus interiectis. Et pro necessitate, quando ad inchoandam impositionem non occurrit notabilis difficultas, varia adducuntur exempla Florentiae, Panormi, Mediolani, & aliarum ciuitatum, in quibus ex Pontificia tantum concessione gabellae impositae sunt, habito pro ea recurſu; cum tamen necessitates Ecclesiasticos proximè attingerent, ob inundationem & pestem. Quod & sic Romana Rota declarauit in vna Leodiensi die 19. Martij 1604. vt de praxi non videatur posse dubitari.

Diuersi quida philosophandi modi circa eandem necessitatem.

125 Et quidem qui recursum non iudicant necessarium in quocumque casu, non ideo censeant inconsulto Episcopo & Clero id fieri posse, quamuis aliqui eorum neque hoc necessarium videantur iudicare, ut videri potest per adductos à P. Suario Lib. 4. Defensionis Cap. 26. num. 7. Sed communior sententia adeundum affirmat Episcopum & re inter vtriusque fori Capita bene pensata,

In quocumque casu saltem Episcopum adeundum.

Obligatio recursus ad Pontificem amplius declaratur. Et quando non censeantur laicorum sufficere facultates.

Ratio pro eo concludens.

126 Vbi & quaestio alia succurrit, an Ecclesiastici nolentes contribuere; possint à laica potestate compelli, & in eorum bonis fieri executio. Circa quod affirmant plures apud Dianam Parte 1. Tract. 2. Resolut. 42. & P. Sancium Dub. 55. num. 30. qui contrarium cum multis aliis statuunt, ex quibus P. Dicastillum supra num. 101. Et id quidem robuste confirmat P. Sancius num. 31. & P. Fragosus num. 332. & est lege Hispaniae aperte decisiu, quae est. Titul. 6. part. 1. in qua post declaratam Clericorum obligationem ad contribuendum, ita dicitur: Pero para esto facer, no los deben apremiar los legos, mas decir los que lo fagan, y si ellos no lo qui fieren facer, han de mostrar lo a los Prelados, que se lo hagan facer. Sic Rex Alfonso. Quod & iure Canonico satis clarè insinuatam Cap. Non minus, & Cap. Aduersus, citatis. Pro quo & est ratio nuper adducta; quia scilicet immunitas debet obseruari quantum potest sine Reipublicae nocumento: quod hic etiam accidit: vbi non solum abest damnum, sed & utilitas accretit; quia Praelati mandatum expeditionem reddit contributionem. Videatur Cardin. Lugo in Responsis moral. lib. 5. dub. 3. num. 6.

Nolentes contribuere nequeunt à laica potestate compelli.

Sic lege Hispaniae stabilita.

127 Si autem Praelati ipsi, aut renuant aperte, aut executionem differant, deberi ad superiorem appellari docent plures, quos adducit & sequitur P. Sancius supra num. 32. In periculo autem ob moram possent auctoritate laica bona Clericorum pro rata onerum occupari: quod cum multis tenet citatus Auctor num. 33. ea ratione; quia Rex jus habet ad protegendum regnum, etiam contra Ecclesiasticos, vbi iudex Ecclesiasticus id detrectat, & est periculum in mora. Quae quidem ad particulares necessitates ita applicanda, ut Rex per suos magistratus etiam habeat jus defendendi & conseruandi omnes ciuitates, ex quibus regnum coalescit; neque enim regnum aliquod est vniuersale Platonium.

Quid faciendum, si Praelati renuant.

128 Iam quod à Concilio Lateranensi dispositum, vt vidimus num. 120. tunc contributionem faciendam vbi laicorum non suppetunt facultates, non leui quaestioni materiae praestat; an scilicet hoc semper faciendum, & quae debeant facultates intelligi, priuatorum, an communitatis, quae dici Propria ciuitatis solent? Circa quod diuersi sunt opinandi modi. Quidam enim dicunt tunc tantum teneri Ecclesiasticos ad contributionem pro communibus necessitatibus, quando laicorum bona non suppetunt, quod satis videtur adductus Textus indicare. Sic Angelus, Azenedus, & Stephanus apud P. Sancium Dub. 55. citat. n. 19. P. Suarez Lib. 4. De faminis Lib. 4. c. 26. n. 14. alios adducens P. Palas Tomo 2. Tractat. 12. Dissut. vbi de reuerentia debita Ecclesiasticis Puncto 9. num. 6. Cardinalis Lugo supra num. 125. P. Fragosus Tomo 2. Dissut. 3. s. 18. num. 324. Vers. Quod si exigantur. Bonacina supra num. 16. Diana Parte 5. Tract. 1. Resolut. 11. 5. Sed notandum, apud quem alii. Contrarium tamen videtur tenere P. Sancius supra num. 19. dicens limitationem illam, Modò laicorum bona non sint, quam tres Doctores ab eodem citati apponunt, ceteros non ponere, neque eam vsum obseruare; sed cum haec sint in commune bonum Clericorum & laicorum, omnes debere contribuere. In quo quidem minus caute locutum affirmat Cardinalis Lugo supra. Admissa autem limitatione, quam ius apponit, sufficere ad obligationem Clericorum, si bona ciuitatis propria non sint, etiam si alia priuatorum suppetant facultates, docet P. Suarez supra n. 15. & P. Palas n. 9. Quod tamen negant Diana Resol. citata, & alii apud ipsum.

Diuerſa sententia circa obligationem contribuendi, cum non suppetunt facultates, aut ipsam extantibus apud laicos.

129 Mihi indubitatum videtur standum iuris Canonici dispositioni, quidquid nonnulli contendunt citata. Capita strictam non imponere obligationem, quando communes Clericis & laicis necessitates sunt, sicut & videtur P. Suario num. 14. citato, qui id asserit sine dubitatione dicendum: & constat ex adductis num. 120. Textus enim illi de communibus necessitatibus procedunt: cumque limitatio non sit inutilis existimanda, in qua tantum momenti residet, neque id dici sine egregia temeritate possit, sicut neque in eo Pontificem excessisse, & Concilium generale deceptum; eiusdem necessarii decisionis iuxta Christianam obligationem adharendum. Et licet ius naturae contributionem videatur exigere, quia communes necessitates communibus sunt expensis subleuandae: ipsum etiam naturae ius exigit, vt qui ad diuersum gremium spectant, neque habent eam, quam alii, respectu magistratum subiectionem; sed alteri parent superiori; non debeant aliorum dispositioni stare, nisi iuxta modum, quem status eorum postulat, & superioris dispositio praescribit. Tenentur ergo Ecclesiastici contribuere, sed iuxta Pontificis directionem, quando communes vtriusque necessitates sunt: dispositio itaque, quae in citatis extat Capitibus, omnino seruanda.

Stricta obligatio est standi iuris dispositioni circa materiam praesentem.